Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 215
Quelle:
Copyright:

Pſalmos charat. Longob. 1180. a tempo di Pietro Diacono. Ut vero *Petrus* hic *Caſſinenſis* ipſe teſtetur *Chron. Caſſ.* L. IV. *c.* 68. ſcripſiſſe ſe *Scholia in Vetus Teſtamentum*, vivendo tamen annum ſupra dictum vix adtigit, Scripturaeque *Langobardicae* nitor major videtur, quam ut Seculo XII. tam prope finem ſpectanti adtribui poſſit. Neque vero inde magis Autorem horum *Scholiorum* indicare valeo, niſi is *Petrus* ſit, conſultis in caſſum paene omnibus, quae in *Pſalterium* literis configurata ad nos pervenere. Ut Lectori arbitrando locus ſit, en *Pſalmum* XIV. cujus Argumentum miniatum ita habet: *Vox prophetę agentis per ſimilitudinem. Quemadmodum dux alicujus imperatoris videns exercitum domini ſui congregatum interrogat dominum quis eſſet in militia ut tandem eſſet in aula. Eodem modo propheta videns multos conuenire ad ſacramenta eccleſię interrogat dominum. quis eſſet hic in militia ut tandem requieſcat in celeſti aula et propter hoc interrogat quia uult ſoluere.* Pſalmus ipſe: Domine quis habitabit *hic* in tabernaculo tuo. *i. in militia tua. i. in eccleſia tua.* quis requieſcet in monte ſancto tuo. *i. in chriſto? modo ſolum ſubaudis ille.* Qui ingreditur ſine macula. *i. criminali peccato.* et *qui* operatur juſtitiam. Qui loquitur ueritatem *non ſolummodo in ore. ſed etiam* in corde. qui non egit dolum in lingua ſua *ad proximum.* Non fecit proximo ſuo malum. et obprobrium non accepit aduerſus proximum ſuum. *Sed potius.* Ad nichilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus *i. detractor. uel diabolus.* timentes autem dominum glorificat. *i. magnificat.* Qui jurat proximo ſuo et non decipit. *quia licet jurare in humanis actibus, ſed non pejerare.* qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram. et munera ſuper innocentem non accipit. *ut nocentem faciat ſuperiorem innocente.* Qui facit hęc non commouebitur in ęternum. *i. ille erit hic in militia. et tandem in palatio.* Ita Beda in hunc Pſalm. *Qui digne militabit in hoc tabernaculo, aeternaliter gaudebit in coeleſti palatio*, et Remigius Antiſſiod. *Ille habitabit in tabernaculo, et poſt requieſcet in palatio.* Hos ergo Scriptores Sec. VIII. et IX. prae ſe habuiſſe videtur Scholiaſtes noſter, cujus initium, ut dixi, ſitu evanuit, finis vero eſt: *omnis ſpiritualitas ſit uobis materia laudandi dominum. i. conſideratione omnium ſpiritualium uirorum laudate dominum.*

CXLIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. E. 2 Folior. 264. 4. manu difficili, multisque literarum compendiis perſcriptus, rubricis tamen enotatus, et olim oblatus Principi *Eugenio de Sabaudia* a *Leibnitio* continet *Commentaria* ſuccincta in *Pſalterium*, et reliqua *Cantica Biblica* cum Hymno *Ambroſiano*, Symboloque dicto *Athanaſii* decerpta potiſſimum ex utraque *Gloſſa* et *Nic. Lirani* Poſtillis. Primis tamen 2. Foliis adſcripta eſt Fabula